Gregorius Magnus: Homiliae in Ezechielem; Epistulae
Mainz, 2. Viertel bis 2. Hälfte 11. Jh. Seite 116v



oculos cordis avertere · ne quid sibi in illa corporale animus fingat · que
ubique tota · et ubique incircumscripta est. Nos itaque fratres karissimi · qui iam per redemptoris
nostri mortem ac resurrectionem atque ad celos ascensionem · gaudia eterna didi
cimus · qui in testimonio divinitatis eius apparuisse exterius cives nostros angelos il
lius scimus · concupiscamus regem · desideremus cives quos cognovimus · atque in hoc
sancte ecclesie edificio stantes · oculos in porta teneamus. Demus terga menti huic
corruptioni vite temporalis · intendamus cordis faciem ad celestis patrie libertatem.
Sed ecce ad hoc multa sunt · que nos de cura vite corruptibilis premunt. Quia ergo
perfecte exire non possumus · saltim in spelunce nostre ostio stemus · exituri quandoque
prospere per gratiam redemptoris · qui vivit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus per

EXPLICIT OMELIA · XII · INCIPIT · XIII ·

Nequidam me fortasse tacita cogitatione reprehendant · quod hel-echielis prophete
tam profunda mysteria a magnis expositoribus intemptata discutere pre
sumo · qui mente id facti ignoscunt. Non enim hoc temeritate aggredior ·
sed humilitate. Scio enim · quia plerumque multa in sacro eloquio que solus
intelligere non potui · coram fratribus meis positus intellexi. Ex quo intellectu et hoc
quoque intelligere studui · ut scirem ex quorum michi merito intellectus
daretur. Patet enim quia hoc michi pro illis datur · quibus michi presentibus
datur. Ex qua re largiente deo agitur · ut et sensus crescat · et elatio decrescat ·
dum propter vos disco · quod inter vos doceo · quia verum fateor · plerumque
vobiscum audio quod dico. Quicquid ergo in hoc propheta minus intellexero ·
mee cecitatis est. Si quid vero intelligere apte potuero · ex divino munere
vestre venerationis. Sepe autem per omptus domini gratiam · in eius eloquio quedam
intelliguntur melius · cum sermo dei secretius legitur · atque animus culparum
suarum conscius · dum recognoscit quod audierit · doloris iaculo percutitur ·
et conpunctionis gladio transfigitur · ut nichil ei nisi flere libeat · et fluentis

© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0236